


Ag. Strauchius.
(M. Arrien.)
Dissert.
ad
Genes. XXXV. comma 16 & seqv.

Witeb., 1661.









ב״ה:

מצבת קבורת רחל:

Seu ad GENES. CAP. XXXV.

Comma XVI. & seq.

DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA,

Quam

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Plurimum-Reverendi, Amplissimi atque

Excellentissimi

DN. ÆGIDII STRAUCHII,

S.S. Theol. Licent. Mathem. Infer. Prof. Publ. nec non Historiar. Substituti celeberrimi,

Dn. Præceptoris, Patroni atq; Promotoris piè devenerandi

placido συμφιλολογούντων examini exhibet

MARTINUS ARRIEN,

Crempâ-Holsatus.

Ad D. 10. April. In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

ANNO M DC LXI.

VIRIS

Admodùm Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo

DN. M. JOHANNI HUDEMANNO,

Ecclesiæ Crempensium Pastori vigilantissimo, Superintendenti apud Regium in Holsatia exercitum, nec non Comitatûs Pinnebergensis & Regiorum Consistoriorum, Munsterdorffiensis & Segebergensis, Præposito gravissimo, suo in CHRISTO Patri ætatèm observando.

ITEMQVE

Prænobili, Strenuo atq; Spectatissimo

DN. WILHELMO ARRIEN,

Ædili apud Glückstadienses Cereali fidelissimo, & Mercatori facilè primario, Patruo suo honoratissimo.

ITEMQVE

Amplissimo, Consultissimo atq; Doctissimo

DN. MARCO KLUVERIO,

Senatori Crempensium gravissimo, Affini multùm honorando.

NEC NON

Clarissimo, Præstantissimo atq; Doctissimo

DN. GEORGIO OTTENS,

Rectori Scholæ Crempensis vigilantissimo, Præceptori quondam suo integerrimo.

DNN. Evergetis, Favitoribus, studiorumq; suorum Promotoribus nunquam non devenerandis

Exercitium hocce Academicum

D.D.D. C.

MARTINUS ARRIEN.

§. I.

INter reliqua monumenta, quæ ſecundum Tullii monitum, ad memoriam magis ſpectare debent poſteritatis, quam ad præſentis temporis gratiam, SEPULCHRALIA non poſtremum, ſed principem merentur locum; Nam cum animadverterent homines, mortem etiam clarisſimorum Virorum ex animis noſtris memoriam delere, & ii potisſimum, qui veri DEI ignari, vitam beſtiarum ſimiles, vivebant, conquerendi necesſitatem ſibi impoſitam eſſe putarent: *Caſu nati ſumus, poſteà vero ita futuri ſumus, quaſi non fuiſſemus; quia fumus eſt reſpiratio narium noſtrarum, & ſermo cordis noſtri ſcintilla eſt, quâ extinctâ, in cinerem abiturum eſt corpus noſtrum, & Spiritus noſter, ut aër mollis diffundetur. Quô tempore oblivioni erit nomen noſtrum & nemo recordabitur operum noſtrorum. Ita tranſitura eſt vita noſtra, ut veſtigia nubis, & quaſi nebula diſpergetur infeſtata à radiis Solis & à calore ejus gravius impulſa*, quæ penes ſapientem cap. 2. quiritantium voces ſunt, ab interitu nominis ſui famam, vel ulla ratione vindicare conati ſunt, atq; ideò pretioſisſima ſepulchra ſibi exſtrui curarunt. De MAUSOLI, terræ Cariæ in Aſia Regis quondam, à quo Mauſolæa dicta ſunt, uxore, Artemiſia, refert *Gellius* L. X. c. XIIX. uti defuncti mariti oſſa, cineremq; ejus, miſta odoribus, conbuſtaq; in pulveris faciem, aquæ indiderit, ebiberitq;, & præter multa alia violenti amoris indicia, ſepulchrum illud memoratisſimum, dignumq;, quod inter ſeptem omnium terrarum ſpectacula numeretur, molita ſit. Meminerunt ejusdem, ut ſtupendi operis, *Strabo* Geogr. L. XIV. *Herodotus* L. VII. *Plinius*

 L. XXXVI.

L. XXXVI. *Pomponius Mela*, aliiq;. Quamvis autem ii, quibus lumen verbi divini affulget, aliam de mortuis concipiant ſpem, & quos deleri prorſus inſipientes opinantur, eosdem vitam immortalem inter cœlicolas vivere, indubitato credant, & ipſi tamen, non ſepulturâ tantum honeſtâ, familiaris animæ exuvias cohoneſtare, ſed Sepulchralia monumenta inſuper, in locis, ubi corpus, oſſaq; hominis conduntur, erigere omni tempore ſoliti ſunt. Cujus vetuſtisſimi inſtituti, tum alia innumera habemus exempla, tum illud imprimis, quod *Gen. XXXV, 16.* de Sepulchro Rachelis in via Bethlehemitica legitur, obſervationem meretur. Quamobrem hâc vice, poſtquam nuper de nomine, ſitu, Annalibus & aliis Patriæ Mesſiæ circumſtantiis, à nobis actum eſt, Monumentum illud, quod Mœſtisſimus Patriarcha Jacobus, demortuæ conjugi, non procul à civitate, in qua Salvator noſter poſtea natus eſt, extruxit, Diſſertatione Academicâ deſcribemus; Quod ut feliciter fiat, FAXIT DEUS הקב״ה

§. 2. Ut de LOCO in quo deſideratisſima Jacobi uxor mortua & à marito Suo ſepulta eſt, exactè conſtet, verba Moſis, quibus Rachelis novisſima is deſcripſit, ante alia omnia conſideranda ſunt; Ita autem loc. cit. legitur: וַיִּסְעוּ מִבֵּית אֵל וַיְהִי־עוֹד כִּבְרַת־הָאָרֶץ לָבוֹא אֶפְרָתָה וַתֵּלֶד רָחֵל וַתְּקַשׁ בְּלִדְתָּהּ׃ וַתָּמָת רָחֵל וַתִּקָּבֵר בְּדֶרֶךְ אֶפְרָתָה הִוא בֵּית לָחֶם׃ Vulgatæ verſionis autor utrumq; verſiculum ita reddidit: *Egreſſus autem inde, venit verno tempore, ad terram, quæ ducit Ephratam, in qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit,* &c. *Mortua eſt ergò Rachel & ſepulta in via, quæ ducit Ephrata hæc eſt Bethlehem.* Tremellius vertit: *Deinde cum profectis Bethele, ſuper eſſet adhuc exiguum ſpatium itineris conficiendum, ut pervenirent Ephratam, pariens Rachel difficiliore partu utebatur* &c. *Sic mortua eſt Rachel, ſepultaq; in via ſpectante Ephratam, ea jam eſt Bethlehem.* Scinduntur itaq; Interpretes in explicanda phraſi כברת הארץ in partes, cum alii de tempore, alii de loco

eam

eam accipiant & explicent. Prioribus accedit *Hieronymus* quæſt. Hebr. in Geneſin, *Aquila*, inquit, *ita tranſtulit*: Et factum eſt καθ' ὁδὸν τῆς γῆς, id eſt, in itinere terræ introiens in Ephrata, *ſed melius eſt, ſi transferatur*: In electo terræ tempore, cum introiret Ephrata. *Porrò vernum tempus ſignificat, qvum in florem cuncta rumpuntur & anni tempus electum.. Vel cum tranſeuntes per viam carpunt & eligunt è vicinis agris, quodcunq; ad manus venerit, diverſis floribus invitati.* Mentem Hieronymi cum in Vulgata verſione expreſſam Romanenſes legant, eandem in Commentariis ſuis paſſim repetunt, & *Cornelius à Lapide* hanc inſuper obſervationem addit, notare Moſen in morte Rachelis fuiſſe vernum tempus ut innuat, propter auram veris tepidiorem, non licuiſſe Jacobo cadaver Rachelis, ne putreſceret, Hebronem perferre, ut ibidem in Sepulchro Abrahæ & Saræ ſepeliretur. Atq; in ſtabilimentum hujus expoſitionis vox controverſa à *Pererio*, *Cornelio* & aliis, à Radice בָרָה deſcendere dicitur, quæ *comedere*, ſeu *paſtu ſe reficere*, ſignificat, ut hic ſit ſenſus; adveniſſe ultima Rachelis fata, juxta tempus, quô terra ſegetes in uſum hominum profert. Vel cum eadem radix *Eligere* ſignificet, & vernum tempus lectiſſimum, atq; hominibus ſit gratiſſimum, inde כברת הארץ Hiſtoricum dixiſſe, cum Hieronymo autumant.

§. 3. Uti autem incertum eſt, peregrinationem Jacobi, & Rachelis mortem, vernô tempore accidiſſe; cum *Nicolaus Füllerus* autumnale tempus tunc fuiſſe probet; ita Interpretes pene multi non de tempore, ſed menſura itineris phraſin Moſaicam accipiendam eſſe volunt. De LXX. Interpretum verſione Hieronymus refert, quod ſuo tempore ἱππόδρομον habuerit, ſeu per ſpatium decurſionis equeſtris, Ebræum textum explicarit; Erat autem ἱππόδρομος ludorum Olympicorum genus, quô athletæ in equeſtri curriculo exercebantur, cui analogum certamen in Pythiis ludis celebre fuit, & in extremis hujusmodi equeſtris curriculi conſpiciebatur ara Dæmonis, quem ab eo quod equis pavorem incuteret, ταράξιππον nuncupabant. Solebant enim, incertum unde in-

jecto terrore, circa aram hanc equi tam vehementer consternari, ut coortâ trepidatione aurigæ in maximo essent periculo. Nostris temporibus vocabulum illud in versione LXX. interpretum non comparet, quod evidens argumentum est, antiquissimam versionem mutationem passam esse, & nos rudera tantùm & λείψανα Veteris versionis habere, ut rectissimè judicarit *Martinus Martinez Hispanus* Lib. 1. Hypotyp. c. 4. *Universæ supradictæ versiones*, (de LXX. & aliis interpolatis locutus erat) *cum suis asteriscis & obelis prorsus periere, & tantummodo vestigia illarum permanserunt, in monumentis antiquorum Patrum, ut in Comment. B. Theodoreti & Hieronymi, in Prophetas tam majores, quam minores, quos domi habemus. Præterea, nec autorem hujus Græcæ translationis certò cognoscimus, nec an sit una ex supradictis, aut ex omnibus illis sit conflata, ut illa Luciani fuit, compertum habemus.* Sed de LXX. virali versione alibi agendi locus erit, in præsenti verba adduxisse sufficiat, quæ in hodiernis codicibus leguntur, ê quibus apparet quod כברת הארץ pro proprio loci cujusdam nomine, versionis autor habuerit, ita enim transtulit: Ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισε χαβραθὰ τοῦ ἐλθεῖν εἰς τὴν ἐφραθὰ, ἔτεκε Ῥαχὴλ, &c.

§. 4. De mensura locorum & distantiæ eorum eandem vocem accipiunt Ebræorum pleriq;, ita enim *R. David Kimchi* in Libr. Radicum scribit, כ servile esse ac thema ברה & significari spatium viæ, quantum homo conficit à mane usq; ad pastum. Et *R. Salomon* in Gen. 48, 7. sequentia cômentatur.

מדת ארץ והם אלפים אמה כמדת תחום שבת:

Est mensura terræ bis mille cubitorum, quale erat iter Sabbathi. Atq; huic sententiæ non tantum *Joh. Mercerus, Nicol. Füllerus, Andreas Rivetus*, cum magno Interpretum choro, accedunt, sed *B. Lutherus* quoq; per indeterminatum itineris spatium vocem Ebræam reddidit: Und da noch ein Feldweges war von Ephrath / da gebar Rachel. Nec rationes desunt, quibus evinci potest interpretationem nostram convenientissimam esse. Non dicam de textus circumstantiis, non de voce ארץ cum qua כברת construitur, sed locum similem allegasse

gasse

gaſſe ſufficiat, eadem enim phraſis recurrit, *2. Reg. V, 19.* ubi de Naaman Syro legitur: וַיֵּלֶךְ מֵאִתּוֹ כִּבְרַת אָרֶץ Vulgatus quidem iterum reddidit: *Abiit ergo ab eo electô tempore*, & Græcus ſuum χαβραθὰ repetiit; At uterq; in meridie quæſivit tenebras; Nam deſcribi in citato loco propinquitatem Naamanis & Gehaſi & quod Naaman non longe adhuc receſſerit, ê verbis ipſis palam eſt. Rectiſſimè ergo propoſita difficultas ſolvitur, ſi dicamus כברת הארץ tantum eſſe itineris ſpatium, quantum hodie diſtant ſepulchri Rachelis rudera, à civitate Bethlehem, de qua diſtantia nec non ruderibus monumenti priſci, ita *Rabbi Benjamin Tudelenſis*, qui circa medium ſeculi duodecimi (in annum enim Chriſti 1173. mortem ejus conjicit David Gans) loca illa vidit:

וקרוב לבית לחם כחצי מיל מצבת קבורת רחל על אם הדרך והמצבה עשויה מאחת עשרה אבנים למנין בני יעקב ועליה כיפה בנויה על ד׳ עמודים וכל היהודים העוברים חותמים שמם על אבני המצבה: Hoc eſt, ê verſione *Conſtantini L'Empereur*: Bethlehemo ad dimidium milliare vicinus eſt ſepulchri Rachelis cippus, in bivio ê duodecim lapidibus, pro numero filiorum Jacobi, exſtructus, & teſtudine quadam, quæ columnis quatuor innititur, tectus. Hic omnes Judæi, quotquot prætereunt, nomina ſua in cippi lapidibus exarant. Diſtantiam definit Benjamin inter civitatem & ſepulchrum dimidii milliaris eſſe, quamvis enim alii integrum milliare circiter, inter cippum Rachelis & Bethlehem, interceſſiſſe autument, cum Benjamino tamen conciliari facile poſſunt, ſi dicamus vel milliaris vocem ambiguam eſſe, vel obſervemus *Doctiſſimi Imperatoris* notam: *Cum præmittat Benjamin*, inquit, קרוב / *plusquam dimidio milliari diſtâ illa loca fuiſſe indicat;* Nam prope eſſe dicit circiter dimidium milliare; non vero remotum circiter dimidium milliare: illô diſtantia, dimidiô milliari major; hôc vero minor ſignificatur. Itaq; ſpatium dimidiô milliari longius, integrô milliari brevius denotari, ê teſtimoniorum collatione liquet. Atq;

hæc,

hæc, quæ de explicatione כברת הארץ & distantia Sepulchri Rachelis ac civitatis dicta sunt, ab eremitis nostris confirmantur, uti in itinerariis terræ Sanctæ, conjunctim editis, legi potest.

§. 5. Constat de distantia Sepulchri Rachel & civitatis Bethlehem, de Sepulchro ipso quædam referenda sunt: Hebræorum sepeliendi ritum sequentibus verbis describit *R. Moses Ben Maimon* Tit. Efel. c. 4. §. 4. חפרין בעפר מערות ועושין כיך בצד המערה וקוברין אותו בו ופניו למעלה ומחזירין העפר והאבנים עליו ויש להן לקבור בארון של עץ וחמלוין אותו אומרין לו לך בשלום שנאמר ואתה תבוא אל אבותיך בשלום: ומציינין את כל בית הקברות ובונין נפש על הקבר והצדיקים אין בונים להם נפש על קברותיהם שדבריהם הם זכרונם ולא יפנה אדם לבקר הקברות: *Fodiunt in pulvere speluncas, faciuntq; foveam in latere ejusdem speluncæ, in qua sepeliunt mortuum, positâ ejusdem facie sursum versus, rejectâq; super ipsum rursus terrâ ac lapidibus. Sepeliunt vero mortuum in arca lignea, & comitantes ipsum dicunt: Vade in pace, eò, quod dictum est Genes. XV, 15.* & venies ad Patres tuos in pace, *& signant omnem sepulchrorum locum, ædificantq; monumentum sepulchrale, super sepulchro, super justorum vero sepulchris tale non extruunt, eo quod verba eorum sint monumentum ipsorum, neq; respicit quisquam ad inquirendum sepulchra.* Hactenus Maimon, cujus descriptio satis convenit cum iis, quæ de ruderibus Sepulchri Rachel, in agro Bethlehemitico, communiter referunt, nisi quod hodie ad hujusmodi monumenta omnino respicere, eademq; inquirere soleant Apellæ. Quamvis enim de immunditie Sepulchrorum è *Num. XIX, 16.* constet, ubi dicitur: *Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel Sepulchrum, immundus erit septem diebus;* Quamvis item citatus anteà R. Maimon multa de Hebræorum solicitudine in evitandis Sepulchrorum locis tradat, ut quod nullus homo transire debeat juxta sepulchrum, intra quatuor

ulnarum

ulnarum ſpatium, ita ut Tephillin ſint in manu ejus, legisq; liber ſub brachio ejus, neq; orare illic &c. Item, quod tres ſint agri immundi שדה שנאבד בה קבר Ager in quo periit Sepulchrum, ושדה שנחרש בה קבר & ager in quo aratum eſt Sepulchrum, ושדה בוכין & aër flentium &c. Temporibus tamen Benjamini, multum ab hoc Sanctitatis Zelo videntur remiſiſſe; jam anteà enim ejus verba adduximus: *Hic omnes Judæi, quotquot prætereunt, nomina ſua in cippi lapidibus exarant.* Oportet ergo המחרורים ſeu circuitores iſtos acceſſiſſe propius, & leges de vitanda immunditie parùm religiosè obſervaſſe.

§. *6.* Porrò quod *Quaresmius* in Eluc. terr. S. L. 4. peregr. 4. c. 7. monet, duo imprimis in Sepulchris Ebræorum animadverti poſſe, unum quod à natura, alterum quod ab arte acceperunt; Illud & à nobis negligendum non eſt. Nativæ erant in rupibus ſpeluncæ, in quibus cadavera ſepeliebantur. Ab arte monumenta erant, in Sepulchretis extrui ſolita; Itaq; quod regio Bethlehemitica petroſa eſſet, & ſpeluncis abundaret, non effodere Sepulchrum neceſſe Jacobus habuit, ſed uſus videtur idoneâ commoditate & in ſpelunca agreſti conjugem ſepeliviſſe, non enim in civitate, ſed prope eandem id accidiſſe dicitur; In cujus facti cauſam dum Interpretes inquirunt, nonnullorum opinio eſt, Jacobum Rachelis de mortuum corpus Bethlehemum usq; non deportaſſe ideò, quod inſolitum apud Judæos fuerit, corpora mortuorum in urbibus ſepeliri. Et certum quidem eſt, non tantum apud Romanos lege cautum fuiſſe, ne quis in urbe ſepeliretur, ſed apud Ebræos quoq; Sepulchra extra civitatem frequentiora fuiſſe; attamen cum omninò inſolitum non fuerit, ſepelire cadavera etiam in civitatibus, uti ê Sepulchris regiis apparet, addendum videtur, Jacobum, quod peregrinus eſſet, atq; extraneus, agrarium locum elegiſſe; in quo Anteceſſores ſuos imitatus eſt; Nam in agri ſpelunca Abrahamus Saram condidit Geneſ. XXIII, 16. in eadem ſpelunca conditus ipſe eſt, Gen. XXV, 9. nec non Jacobus, cum altera conjuge ſua Lea,

 Gen.

Gen. XLIX, 29. ibidem Joſephi oſſa ſepulta eſſe Joſ. XXIV, 32. dicitur. Cœterùm quod Rachelem ſuam non ſecum Hebronem deportarit Jacob, alii argumentum eſſe putant, Patriarcham ab omni ſuperſtitione procul abfuiſſe ; alii perpendentes, quid de ſui Sepultura præceperit Gen. XLIX, 29. commodius dicunt, quod factum ſit partim ob moleſtias fere inſuperabiles, in terra peregrina transferendi puerperam mortuam, partim ne luctu vehementiori afficeretur Iſaacus. Utrumq; conjungere *Andreæ Riveto* placuit: Quemadmodum ex eo, inquit, quod voluit ſepeliri in terra Canaan cum Patribus ſuis, oſtendit, ſe fidem illam ſervaſſe de hæreditate terræ Canaan à poſteris poſſidenda, ſic in hoc facto voluit oſtendere, ita non affectanda eſſe certa Sepulturæ loca, ut exiſtimemus corporibus fidelium aliquid deeſſe, ſi vel non ſepeliantur in communi Polyandrio, vel in avitis Sepulchris. Itaq; cum amplam haberet Jacob familiam, & longe adhuc diſtaret à loco, in quo tum habitabat Pater, juxta quem erat ſpelunca, quam Abraham emerat, non judicavit ê re, diu ſervare emortuum cadaver, nec forte tunc ipſi erant ad manus aromata, quibus condiri poſſet, & ad plures dies ſervari ſine putrefactione. Probabile eſt etiam, noluiſſe ad patrem deducere, cadaver uxoris, eumq;, tali objecto adveniens commovere: Sibi etiam & ſuis conſuluiſſe, removens illud ab oculis, ne ſingulis diebus luctus renovaretur, quem magnum fuiſſe non dubitandum, cum multo charior eſſet Jacobo Rachel quam Lea, & quo chariores nobis fuerint vivi, eo vehementiori luctu morientibus noſtris afficimur, quô affectû prorſus humano Jacobus non caruit, uti ex aliis ejusdem caſibus abunde liquet.

§. 7. Non contentus erat Jacobus, in ſpelunca quadam cadaver dilectiſſimæ conjugis ſuæ ſepeliviſſe, ſed ne memoria ejusdem in animis hominum obliteretur, memoriale addidit ſignum, de quo Hiſtoricus ſacer pandit ſequentia:
וַיַּצֵּב יַעֲקֹב מַצֵּבָה עַל־קְבֻרָתָהּ הִוא מַצֶּבֶת
קְבֻרַת־רָחֵל עַד־הַיּוֹם׃ *Statuitq; Jacob ſtatuam ſuper*

Sepulchrum

Sepulchrum ejus; ea dicitur STATUA SEPULCHRI RACHEL *in hunc usq; diem*. Quæ verba in versione Græca ita reddita sunt: Ἔστησεν Ιακὼβ στήλην ἐπὶ τοῦ μνημείου αὐτῆς. αὕτη ἐστὶ στήλη ἐπὶ τοῦ μνημείου Ραχήλ. Vulgatus: *Erexitq; Jacob titulum super sepulchrum ejus, hic est titulus monumenti Rachel, usq; in præsentem diem*. B.Lutherus vertit: Ein Mahl. Cæterum, quodnam fuerit illud Signum seu memoriale, disquiri solet, cujus genericam naturam vocis etymon & frequens usus indicat, Radicem enim יצב in conjugationibus, in quibus in usu est, erigendi & statuendi significationem habere, notissimum est, unde vox מַצֵּבָה erectum aliquod signum, seu statuam notare solet, qualem Jacobus posuit, fugâ sibi ab ira fratris consulens *Gen. XXVIII, 18. 22. cap. XXXI, 13.* cum Socero fœdus pangens *Gen. XXXI, 45. &c.* Forma vero, quam habuerit Monumentum, speciatim non exprimitur, an pyramis Ægyptiaca, an Ικρίον Atticum, an cenotaphium Romanum, an trabes Longobardica, an alia fuerit. Oportet igitur nos contentos esse eâ notitiâ, quam reliquiæ reddunt probabilem; *Titulus hic*, inquit Borchardus in terræ Sanctæ descriptione, *fuit pyramis perelegans, in cujus basi dispositi fuerunt duodecim lapides prægrandes, juxta numerum XII. filiorum Israël*. R. Benjamin in Itenerario suo 12. lapidum quoq; meminit, & insuper testudinis cujusdam, quæ columnis quatuor innixa fuerit. Similia hodierni αὐτόπται referunt, ut mirer adeò *Adamnanum* ex *Arculpho* L. II. de locis Sanctis c. 6. monumento elegantiam denegasse, quando ait: Est quædam via regia, quæ ab Ælia contra meridianam plagam Hebron ducit; cui viæ Bethlehem vicina sex millibus distans ab Jerosolyma, ab Orientali plaga adhæret. Sepulchrum vero Rachel, in eadem viæ extremitate & Occidentali parte, hoc est, in dextro latere habetur, pergentibus Hebron cohærens, vili operatione collocatum & nullam habens adornationem, lapideâ circumdatum pyramide, ibidem & nominis ejus titulus hodieq; monstratur, quem Jacob maritus super illud erexit. Cæterùm an in itinere statim, an posteà Jacobus titulum illum

erexerit, definire non possumus; *Franciscus Quaresmius Laudensis, ordinis Minorum Theologus & olim terræ Sanctæ Præsul & Commissarius Apostolicus*, in Historica, Theologica & Morali terræ Sanctæ elucidatione Tom. II. Lib. VI. Peregr. I. c. XI. in ea opinione est, Jacobum non statim id fecisse post mortem Rachelis, quoniam Bethlehemi non mansit, sed posteà concessâ facultate, vel ipsum, vel alios ex posteris ejus id præstare potuisse, ut rudibus & impolitis lapidibus ablatis, quos Jacob posuerat, expolitas posuerint. Enimvero quocunq; tempore hæc facta sint, non frustra eadem adornavit Jacob; vel solennem funeris pompam inaniter paravit, neq;, quam Ethnicorum Sepulchreta loquebantur, affectum, quô vivam prosecutus erat, unice indicare voluit, quin potius altiora meditatus est, de quibus præclarè *B. Lutherus* Tom. VI. Latin. in h. l. monet. Patres magnificè ornarunt Sepulchra. Non abjecerunt mortuos tanquam cadavera bestiarum, sed statuerunt eis monumenta in perpetuam & immortalem memoriam: ut essent testimonia futuræ resurrectionis, quam credebant & expectabant. Retinendæ igitur sunt ceremoniæ & pompa funebris, fletus item & commiseratio, non ut oretur pro defunctis, quod Lyra vult, aut ut metuamus mortem, sed potius ut in ipsa morte discamus exercere fidem luctantem adversus terrores mortis, & sic sentiamus, nos quidem & sepeliri ignominiosè, sed in gloria resurrecturos. Sicut Jacob hanc consolationem retinuit. Ad hunc finem erectæ sunt statuæ, ut exemplo Patrum vitam præsentem negligere & contemnere discamus, propter alteram meliorem, quæ restat.

§. 8. Sed ne excrescant pagellæ ultra eum, quem statuimus terminum, de temporis circumstantia, quô hæc cum Rachele gesta sunt, agendum nobis est. Et primo quidem diu non immorabimur Judaicæ fabellæ confutandæ, quam Autor סדר עולם רבא seu Chronici Hebræorum majoris, (is ר׳ יוסי בן חלפתה Rabbi Jose Ben-Chilpheta Præceptor Judæ Sancti, autoris libri משניות putatur

putatur fuisse, & vixisse circa annum Christi 130.) tradit, quando Rachelem annô ætatis trigesimô sextô mortuam esse annotat. Verba ejus sunt: נמצאת רחל מתה בת ל״ו שנה ולאה לא עברה על מ״ו שנה: נמצאו רחל ולאה נשאו בנות כ״ב שהיו תאומות: *Constat Rachelem egressam ex hac vita annô ætatis 36. Lia autem non excessit, annum 46. Quin inveniuntur Rachel & Lia in matrimonium acceptæ annô ætatis 22. Nam eôdem partû sunt editæ.* Enimverò ineptam hanc esse de ætate Rachel observationem palam est; Ponamus enim Rachelem & Liam, quando ducebantur à Jacobo, fuisse viginti & duos annos natas; cum per tredecim annos conjugatæ apud Labanem vixerint, oportet egredientes 35. annorum fuisse, & ita ab egressu è Mesopotamia vix annum ad mortem Rachelis usq; interceptum fuisse, quod certè verisimile nulla ratione videri potest, uti nec ita *Augustino* visum est, quod Jacobum vivente adhuc Rachele in Suchoth habitasse, agrum in Sichimis emisse, ibi tabernaculum collocasse, & aram constituisse *Gen. XXXIII, 19. & seqq.* dicatur, oportet ergo Jacobum aliquandiu in Sichemitarum regione substitisse, priusquam iter ad Parentem, in quo conjugem amisit, meditatus est. Et quamvis in Codice Sacro non exprimatur ejusdem commorationis tempus, parum tamen à veritate aberrare nobis videntur, qui decennio illud includunt, sive quod tot annis in Sichimis Patriarcha hæserit, quæ *Alexandri Polyhistoris* opinio fuit, sive quod in Suchoth tamdiu vitam degerit, quæ *Alphonsi Tostati Abulensis*, *Tornielli* & aliorum conjectura est, ab autoribus deducta exinde, quod Sichimorum Rex Emor populum alloquens haud obscurè significet, nuper admodum peregrinos illos advenisse, itemq; quod Dina, quando vim passa est, primum egressa videatur ad videndas mulieres, quasi recens eo venisset; Sive quod Jacobus cum familia, unô vel alterô annô, in Sochoth manserit, in Sichimis octo circiter, quod *Dionysii Petavij* L. IX. de Doctrina Tempor. cap. XIX. infert ἐπιεικῶς. Hoc unum

certum est, per decem propemodum annos Jacobum post discessum à Labane, in Suchoth & Sichimis peregrinatum esse, quod ad oculum demonstrabimus, cum efficacissimum illud adversus Judæi notas argumentum sit: Quando Jacobo natus ê Rachele Joseph erat, discedendi facultatem postulabat à Socero, à quo per sex annos amplius retinebatur *Gen. XXX, 22. seq. cap. XXXI, 41.* Erat ergo Josephus, secessus à Labane tempore, sex annorum puer, & totidem ferè puella Dina, *Gen. XXX, 21. 22.* cum qua, si septenni circiter anno subsequente Rachel mortua est, cujus fata infortunium Jacobi in filia antevertit, Sichemus rem habuit, & ita infantem uxorem petiit, atq; à Parentibus eandem impetravit, quæ Judæorum fide digna erit fabula. Quanto rectius *Alexander Polyhistor* ê veterum traditione scripsit, Rachelem viginti & tres annos, non tredecim, uti Judaicum commentum habet, marito convixisse, & *Hipponensis Præsul Augustinus* Quæstionum super Genesin L. I. num. CVIII. idem negotium explicuit; quando ad dubium, quod intelligebat facile sibi moveri posse, quomodo filii Jacobi tantam stragem direptionemq; Sichemitarum civitatis facere potuerint, cum paulo ante, loquens Jacob cum fratre suo Esau, infantes, qui Græcè παῖδες dicuntur, esse eosdem significarit? Sequentia respondit: *Intelligendum est, diu illic habitasse Jacob, donec & filia ejus virgo fieret, & filij Juvenes. Nam ita scriptum est,* Et venit Jacob in Salem in civitatem Sicimorum, quæ est in terra Chanaan, cum advenit de Mesopotamia Syriæ, & applicuit ad faciem civitatis & emit partem agri, in quo statuit illic tabernaculum suum, ab Emor patre Sichem centum agnis, & statuit ibi aram & invocavit DEUM Israel. Exiit autem Dina filia Liæ, quam peperit ipsi Jacob, ut condisceret filias regionis ejus, &c. *Apparet ergò his verbis, non transeunter, sicut viator solet, illic mansisse Jacob, sed agrum emisse & tabernaculum constituisse, aram instruxisse, ac per hoc diutius habitasse: filiam vero ejus, cum ad eam venisset ætatem, ut amicas jam habere posset, condiscere voluisse filias civium loci; atq; ita*

factam

factam esse pro illa cruentissimam cædem & depredationem, &c.

§. 9. Cœterùm, ut plenius de eo constet tempore, quò Rachel inter vivos esse desiit, non parum juvabit nos in ea re, tum Jacobi, tum reliquorum Patriarcharum historias certis annorum intervallis distinxisse, ita enim fiet, ut & Prochronismos & Metachronismos cavere exactè, & veritati Chronologicæ consona proponere possimus. Neque vero ascendere nunc placet altiùs, quàm ad Abrahami tempora, quibus Isaacum genuisse dicitur; de quibus Historicus Sacer *Gen. XXI, 5.* sequentia annotavit: *Erat autem Abraham natus centum annos, qvum nasceretur ei Isaac filius ejus.* Centesimum illum Abrahami annum completum, ut cum certo mundi anno congruè connectamus, ad septuagesimum quintum ejusdem Patriarchæ, retrogrediendum nobis est, quando omnium solennissimam promissionem communis fidelium Parens accepit, de qua *Gen. XII, 4.* legi potest à qua ad exitum usq; Israelitarum, quadringenti & triginta anni, qui vulgò mansionis Israelitarum in Ægypto vocantur, inchoandi sunt, uti alibi ê Majorum Mosis ætate, Apostolici textus Gal. III, 17. claritate, Josephi L. II. Antiquit. cap. VI. autoritate, & intervallorum subsequentium indubitata quantitate, comprobavimus. Atq; hæc omnia egregiè cum *Eusebij Pamphili* Chronicis conspirant, quorum Liber primus, ê Scaligeri editione, ita habet: *Abraham nascitur in Chaldæa, regnante Nino apud Assyrios. Primam ætatem apud Chaldæos terit, qvum esset LXXV. annorum, divinô dignus habetur alloquiô, & eâ repromissione, quæ ad eum facta est; à quo tempore, usq; ad regressum gentis Hebræorum ex Ægypto supputantur anni CCCCXXX. quorum meminit Paulus, ita dicens:* Testamentum confirmatum à Domino, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex; non infirmat ad evacuandam promissionem. *Ipse quoq; in Exodo Moses bis congruens loquitur;* Habitatio autem filiorum

Israel

Israel, quâ habitaverunt in Ægypto & in terra Chanaan ipsi & Patres eorum, anni quadringenti triginta. *Ex Agar ancilla genuit Ismaelem annos natus LXXXVIII. à quo Ismaelitarum gens, qui posteà Agareni, deinde Saraceni dicti. Qvum centenarius esset, genuit ex libera filium Isaac, cui supervixit alios annos LXXV.* Hactenus Eusebius.

§. 10. Cognitô eô, quod ab annô ætatis Abrahami septuagesimo quintô, ad exitum Israelitarum usq; ex Ægypto 430. elapsi sint anni, centesimum ejusdem Patriarchæ, quô Isaaci nativitas contigit, invenire & per annos Per. Julianæ ad Epochas varias applicare in facili erit. Scilicet Exodi Israelitarum tempus ex iis, quæ alibi de eodem disputavimus, minus videtur dubium; Nam per plenilunii Paschalis characterem, feriam hebdomadicam, Cyclorum Sabbathici & Jobelæi ordinationem, & distantiam demum, ab Epocha ædificationis templi Salomonici *1. Reg. VI, 1.* demonstravimus tunc, libertatem cum servitio commutasse Israelitas, annô Per. Jul. 3217. oportet ergo annum 76. Abrahami fuisse annum in eadem Periodo numeratum 2787. & centesimum primum annum allegatæ Periodi 2812. quô ipso, vel antecedente, vel subsequente (unius enim & alterius anni diversitas, Sacrorum Scriptorum, de mensibus silentiô, excusari potest.) Isaacus est natus. Quamprimum autem de Periodi Julianæ anno constat, Mundi conditi annus, & qui ante Epocham Christi numerandus fuisset, unà innotescit; Siquidem inter Epocham Periodi Julianæ & Mundi 764. annos circiter interceptos esse, in Breviario nostro Chronologico dictum est, itemq; quod intervallum inter Periodi Julianæ hypotheticum initium & Epocham Christi vulgarem 4713. annorum fuerit. Confer Lib. IV. Breviarii nostri cap. I. & XXVII.

§. 11. Ordinavimus huc usq; Abrahami tempora, unde omnis de Isaaci & posterorum ejus ætate, certitudo dependet; ita enim in illius anni devenimus notitiam, quô

Esavus

Esavus & Jacobus editi sunt, quorum Natalem Moses annotat, quando *Gen. XXV, 26.* scribit: *Erat autem Isaac natus sexaginta annos, cum Rebecca pareret eos.* Atqui Sexagesimus primus (completos enim Scriptores Sacri solent exprimere) Isaaci annus, ê dictis hucusq; fuisse deprehenditur annus Periodi Jul. 2872. qui una Jacobi primus fuit, unde centesimum & trigesimum Jacobi annum, quem agebat cum Pharaone colloquens, *Gen. XLVII, 9.* oportet fuisse Per. Jul. annum 3001. Atq; eodem tempore Josephus annum ætatis agebat circiter quadragesimum, quod colligere in facili est, ex iis, quæ *Gen. XLI, 46.* dicuntur: *Eratq; Joseph natus triginta annos, cum stetit coram Pharaone, Rege Ægypti, egressusq; Joseph à conspectu Pharaonis obivit universam terram Ægypti. Produxit verò terra septem illis annis saturitatis manipulatim &c.* cum quibus verbis conferenda sunt, quæ *Gen. XLV, 6.* habentur: *Jam enim biennium fames est in terra, supersunt autem adhuc quinq; anni, quibus non erit aratio aut messis.* A quadragesimo ætatis Josephi anno si subtrahamus 24. ad annum Josephi 16. regredimur, & Per. Jul. annum 2977. circa quem Rachelem mortuam esse ideò putamus, quod eadem in Itinere ad Isaacum dicatur fatis concessisse *Gen. XXXVI, 27.* itemq; quod tunc Josephus juvenis septendecim annorum fuerit, uti liquet ê *Gen. XXXVII, 2.* Accedit ad hæc; quod ante mortiferum Rachelis partum, si ordinem historiæ Mosaicæ sequamur, qui temerè negligendus vel invertendus non est, stuprum Dinæ oblatum fuerit *Gen. XXXIV.* Enimvero circiter annorum 14. vel 15. Dinam tunc fuisse, quis negaret morose? At æquales fuisse Dinam Liæ filiam, & Josephum Rachelis filium ê *Gen. XXX, 21. seqq.* non obscurè apparet. Concinit χρονοταξει nostræ vetustissimus Scriptor *Demetrius*, cujus verba ex *Alexandro Polyhistore* recenset *Eusebius*, quando Lib. IX. Præparat. Evangelic. ait: *Israelis filia Dina, cum esset annos sexdecim nata, & menses quatuor, rapta fuit à Sichem, Hemoris filio; & aliquanto post natus est Benjamin ex Rachele quæ ex partus dolore obiit, cum annos 23. marito convixisset.*

§. 12. Constare nunc putamus omnibus, quæ nostra de temporibus Jacobi & Rachelis sententia sit, indicandum est ultimo, unde in *Dionysii Petavij* Chronologica Tabula, quam Lib. XIII. Doctrinæ temporum exhibet, subortus sit error, quamvis enim & ipse Dinam & Josephum eôdem annô Jacobum genuisse afferat, quamvis item in decennio, quod Jacobum ê Mesopotamia reducem in Suchoth & Salem Sichimorum urbe egisse diximus, nobiscum consentiat, itemq; quod Josephus, paulo post Rachelis mortem, annô expleto XVI. à fratribus, ob invidiam, negotiatoribus Madianitis venditus fuerit, nequaquam tamen ad annum Per. Jul. 2977. vel proximum quendam, sed ad annum potius 2944. res, quas tunc gestas diximus, refert, & ita prochronismum triginta circiter annorum committit, quando ad citatum annum Per. Jul. 2944. quem cum Anno M. 2214. ante Christum 1770. copulat, sequentia adscribit:

Post annos decem, quam Jacob ê Mesopotamia reversus erat; Dina XVI. ætatis anno per solenne loci illius festum videndi studio progressa, à Sichem principis filio stuprum patitur. Quô compertô Simeon & Levi Dinæ fratres circumventos dolò Sichimitas ex improviso irruentes opprimunt, & ingenti cæde Sororis injuriam ulciscuntur. Erat tum Simeon annorum XXI. mensium IV. Levi annorum XX. mensium IV. ait Demetrius apud Eusebium de Præpar. Evang. IX. Jacob monitus à DEO Bethel petit, ibiq; altare Domino statuit; cum prius ab universa familia Deorum omnia simulachra & inaures eorum extorsisset, ac sub terebintho ad Sichem defodisset cap. XXXV, 3.

Rachel ex partu obiit, cùm prius Benjamin esset enixa, comm. 10. Vixit illa cum Jacob annos XXIII. ut idem Demetrius asserit.

Hucusq; Petavius, ideò à nobis dissentiens, quod Natalem mundi alibi, atq; nos putamus, figendum esse persvasus fuerit.

Crea-

Creationem enim quam *Scaliger* ad annum Per. Jul. 764. refert, ipse annô Per. Jul. 730. accidisse, tanquam pro aris & focis pugnat, & ita triginta & aliquot annorum prochronismum usq; ad Epocham templi Salomonici, manifestô errore continuat, qui ne perpetuus sit, clarissimum Scripturæ locum *1. Reg. VI, 1.* extantem: וַיְהִי בִשְׁמוֹנִים שָׁנָה וְאַרְבַּע מֵאוֹת שָׁנָה לְצֵאת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם/ וַיִּבֶן הַבַּיִת לַיהוָה׃ *Deinde fuit quadringentesimo octuagesimo annô ab egressu Israelitarum è terra Ægypti, anno quarto mense Ziv (is mensis est secundus) regni Salomonis supra Israelem, ut ædificare inciperet domum Jehovæ &c.* Ita pervertit, ut inter Exodum & templi ædificationem non 480. sed 520. annos numeret, & exitum ex Ægypto tempus illud interpretetur, quô Israelitæ, trajectô Jordane, Chananææ possessionem adierunt. Tum enim, ut ipse *Lib. IX. cap. XXXIII.* loquitur, perfectè ex Ægyptò migrasse & exire desiisse putandi sunt, cum ad itineris metas, terminumq; pervenerunt. De qua Petavii hypothesi cum alibi agendum sit fusius, nolumus hoc loco in ejusdem veritatem inquirere, quin potius finimus,

dicentes

SOLI DEO GLORIAM.

Quæ de RACHELIS tractas, ARIJENE, Sepulchro
Ostendunt animi dona sepulta tui.
Exere vim Genii; fœcundum concute pectus:
Sic Tibi post tumulum fama superstes erit.
Crede mihi, famâ nihil est vivacius unquam.
Juris in hanc solam mors habet ipsa nihil.

Eruditissimo
DNO. RESPONDENTI
Amico suo dilectissimo
gratulab.

Ægidius Strauch / S S. Theol.
Licent. & Prof. Publ.

Sub nivea quanquam tellure sepulta *jacebant*
Omnia, quæ primo vere refecta virent.
Haud torpore tamen te, constat, Amice, sepultum,
Otia quod nunquam grata fuere TIBI.
Fallor? Testis erit tua Dissertatio *præsens,*
Testibus è multis una futura mihi.
Cœpta beet DEUS *ampla, precor successibus adsit,*
Ut Studiis Patriæ commoda mille feras!

Sic vovet
T.

M. Andreas Lohmann P.
Apollensd. & Strach.

Ut

UT fortis altos despicit muros eques,
Nec grandiorum turrium custos amat
Dici, sed hostem quærit in campo suum:
Sic Disputatione gaudes publica,
Amice, comprobasse fortitudinem
Tuam, movesq; docta jam certamina,
Qui jussus es tacere Pythagorâ hactenus.
Macte hâc tua virtute. Sic, quod auguror,
Jam jam *Magister Artium* vocabere?

L. M. Q.

scribeb.

M. Michaël Waltherus.

WAs sucht hier Euer Geist im schwangern Schoß der Erden?
Wo man die tode Saat der Leichen außgesteckt/
Biß daß des Richters Stimm die sichre Welt erschreckt/
Da was vor Staub und Koht soll wieder fruchtbar werden/
Das außgezehrt Geripp sich lebendig geberden/
Worinn die grüne Schlang itzt Gifft und Jungen heckt.
Wer ist in solcher Grufft? Der Eurer Sorg entdeckt/
Wo Rahels Leiche ruht bey den verdammten Herden:
Weil hier die Zucht vermengt mit faulen Huren Knochen/
Die Heiligkeit mit dem der Gottes Bund gebrochen.
Doch lehret dieses Thun/ daß Euren scharffen Sinnen
Steh nicht gemeines an/ hie ist die Schuhl zu sehn

 Was

Was einer wird und ist. Hie lernt man sicher gehn,
Hier ist da man die Kunst zu leben kan gewinnen.

Hiemit beehrte das rühmliche Beginnen
Seines vertrauten Herrn Landsmannes
und Tischburschen aus schuldiger
Pflicht

Georg Green / aus Holstein.

עהלל עד־מאד היסור
חכמים מאנשים לדור׃
אשר ישקור בספר חכמים
כי קמרה; אור שרקים רקם׃
וחגר בהדרה ראשו
אשר שם בלהגים חורו׃
בסיר ספר ידיד טרדרת
חכמים גם ואף שמערת׃
למען הורך יפריח
בחרר ראשך יעלוח׃

Hisce congratulari debuit
Politissimo D̃NO RESPODENTI

M Nicolaus Petræus,
Wilstriâ Holsatus.

MAn schreibt von einem Fluß in weisen Griechen-Lande/
Der alles zünde an / was kömpt an seinen Strande
Zu wieder der Natur; Der Fluß der ist die Kunst
Die alles leuchtend macht / was nähet ihrer Gunst
Und zeigt es aller Welt / daß es in Famens Reiche
Das allzeit offen steht / an Vorzug keinen weiche/
Sich Tag und Nacht erhebt / und brennet Himmel an/
So lang biß es sich setzt am hellen Sternen Plan.

Herr

Herr ARJEN diß merckt / Er nähert sich den Flüssen
Und will durch Ihre Gunst die hohe Weißheit küssen/
Da Er entzündet wird / und aller Welt vorstellt
Wie Er durch Wissenschafft nunmehro sey erhellt.
In dem Er offentlich den Musen Schaaren zeiget/
Wie Er bißhero sich zu Ihren Dienst geneiget/
Darumb wir wünschend auch Ihm sämptlich ruffen bey/
Daß dieses Lobes Liecht Ihm ewig leuchtend sey.

Aus schuldiger Pflicht setzet dieses
Seinen hochgeehrten Herrn Landesmann
Henningius Georgii,
Itzehoa-Holsat.

GRatulor ex animo! Porro quoq; talia tenta,
Non tuus in studiis sudor inanis erit.
Sic tandem virtus Holsatica surget in altum,
Siccè tui generis gloria, fama, decus.

Pauxilla hæc Præstantissimo atq; Doctissimo
DNO MARTINO ARRIEN,
Amico suo Fraterno, de Sepulchro
Rachelis *feliciter disputanti, appo-*
nere voluit, debuit
Marcus Schnering, Bilebergâ
Holsatus.

QVamvis sat decoris didicisse fideliter artes
Omne tamen punctum tulit hic, qui tempore justo
Noverit occultas doctrinæ prodere dotes.
Rectius ita ARIJENE facis pia dogmata tradens
Perge bonis avibus, sic te quoq; commoda multa
Restabunt, studii satis adspirante Jehova.

Pauca hæc Contubernali dilectissimo
apponere voluit
Nicolaus Piningh.

Ad Eruditissimum & Humanissimum

DN. RESPONDENTEM,

Conterraneum, Consalinum & amicum suavissimum.

COnsona sunt vero: *Pascit sua quemq; Voluptas.*
Hic etenim *VENERI* deditus ille *mero.*
Crœsæas alius magno conamine quærit
Divitias: alium *bella* movisse, juvat.
PERSAS, ÆTHIOPES, INDOS vidisse voluptas
Est illi: hunc recreant *Tympana, Buxa, Tubæ.*
Te, *MARTINE*, decus *Sophiæ*, nihil hæcce morantur
Cum semper *Musas* te coluisse juvet.
Scilicet, unde scias famam laudemq; parari
Nominis, & *gnatis* præmia pulchra dari.

facieb.
ALBERTUS Grevenkoep/
Suderoviensis Holsatus.

SIc virtus & honos, multo sudore parantur,
Sic ad virtutem tendere fata jubent.
Perge, bonis avibus doctas de amare Camœnas,
Perge inquam, venient præmia digna tibi;
Ingeniumque tuum vivet ceu vivida laurus.
Quod superest, votis omnia fausta precor.

Sic Pereximio atque Præstantissimo
Dn. RESPONDENTI Conterraneo suo
suavissimo, gratulabatur

Christianus Fridericus Georgii.

FINIS.